

X.

B. 241.

16

MEMORIA
VIRI
EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI DOCTISSIMI
**JOANNIS GOTTLIEB
BARTOLDI**

MATHEMATUM PROFESSORIS PUBL. ORD.

D. XXIX. MAI. A. MDCCCLXXXVIII.

REBUS HUMANIS EXEMTI

ATHENAEI GEDANENSIS CIVIBUS

COMMENDATA

AB

P.

RECTORE ET PROFESSORIBUS.

Auctor Car. Bened. Glack Eloge et Prof. P. P. Ad.

GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS
Et ATHENAEI ILLUSTRIS TYPOGRAPHI.

ALMOSA

WILHELM

EKONOMISCHE WIRTSCHAFTSLEHRE

JOHANNES GÖTTSCHE
BARTOLINI

ALMOSA WIRTSCHAFTSLEHRE

WIRTSCHAFTSLEHRE

WIRTSCHAFTSLEHRE

ALMOSA WIRTSCHAFTSLEHRE

ALMOSA

ALMOSA WIRTSCHAFTSLEHRE

ALMOSA

ALMOSA WIRTSCHAFTSLEHRE

He began his career as a teacher in 1868, and was soon promoted to principal of the school. In 1872, he became a member of the faculty at the University of Michigan, where he taught until 1882. He then moved to the University of Wisconsin, where he remained until 1892. In 1892, he became a professor at the University of Illinois, where he taught until 1902. He then moved to the University of Michigan again, where he taught until 1912. He died in 1912.

In estimando vita pretio si varia et maxime inter se diversa homini-
num iudicia expendimus, haud facile dictu est, utrum magis pec-
cent, qui in contemnenda vita, quam qui in optanda expetendaque
modum excedunt. Sunt, qui humanam in his terris conditionem
tamquam tristissimam et miserrimam usquequaque deplorent, et vix
tolerabilem vel beatissimo mortalium esse conquerantur, in qua perpe-
truis curis, molestiis, ærumnis, angoribus sit conflictandum, idque di-
vino consilio ita comparatum et institutum esse putent, haud secus ac
si luendorum scelerum causa homines nascantur et hunc spiritum du-
cant. Sunt contra, qui mīra vivendi dulcedine capti et deliniti, ex-
satiati eius deliciis non posse glorientur, in iisque ita conquiescant, ut
præter brevitatem vite, nimis arctis limitibus circumscriptæ, fragilit-
atemque humanam in rebus terrenis nihil magnopere desiderandum exi-
stent. Unde hæ tanta, in re tam communis, dissensio, inter ho-
mines, qui uno tamen omnes vivendi studio a natura insito ducuntur?
Non adeo latent cause, ut percontanti se se non offerant, certe non
sunt in aliquo naturæ, apertissime secum concordantis, vitio, sed in ho-
mine ipso querendæ. Sortem quidem humanam, bona vitæ atque in-
commoda admodum varie inter homines divinitus dispertita, et multi-
plicem in hoc orbe et lugendi et lætandi materiam esse, quis neget?
Verum, ut quisque animo affectus, vel opinione aliqua imbutus est,
sic rebus externis et ad corpus pertinentibus in utramque partem moyetur.

100

Id

Id quidem nemini mirum debet videri, quod homines gravi aliquo casu afficti, aut valetudinis diuturna iniuitate vexati, aut iniuriā temporum diu perpessi, duriorem sentiant et querantur fortunam, quam ii, quibus integra sunt omnia et ad voluntatem fluunt. At enim calamitatibus ita percelli ac deprimenti, ut nusquam habeas, unde doloris et agititudinis levationem petas, vitamque ipsam, divino munere concessam, idcirco aspernari et abhorrire, id vero animum prodit humilem et abiectum, suis vitis laborantem, non vitæ, sed sibi, sed Deo infensum et inimicum. Est ita profecto, ut ait Tullius: Sua quemque fratus et suis terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes conscientiaeque animi terrent. Quo minus probanda est eorum opera, qui pia quadam fraude decepti, sive potuis fanatico errore ducti, ex industria, ut futuræ et cœlestis vitæ desiderio impleant hominum animos, de praesenti iusto contentius loquuntur. Iti vero videant, ne grati erga Deum animi sensum, quocum hinc tamquam ex liberali hospitio discedendum, extinguant, ne malorum, quibus homines vere premuntur et iure suo ingemiscunt, cumulum fictis temere augeant, mentisque vires ad sustinendos dolores miseris necessarias, suis naniis infringant.

Altera quidem ratio, illorum, qui in laudandis vitæ amoenitatibus nimii sunt, lenior omnino atque ob id ipsum humanæ naturæ convenientior videtur, eoque blandius haec disciplina sectatores allicit, et facilius in mentes hominum irrepit. Neque vero minus periculi subest. Quid enim? Cum ab omni cogitatione malorum et molestiarum, a quibus tamen nemo mortalium immunis est, sedulo avertuntur mentes, et ad contemplandam fruendamque voluptatem vel honestissimam perpetuo revocantur, cum ad oblectationem omnia referuntur; fieri non potest

potest, quin paullatim ita mollescant sensus et velut liquefiant animi, aut omnem vitæ acerbitatem et afflictionem refugiant et extimescant, et ferendis doloribus impares, ingruentem aliquando calamitatem, cui resisti non nisi provisa et serio præmeditatæ potest, minime sustineant, atque ita spe et expectatione decepti, eo acerbius tardium vitæ sentiant. Male itaque consulunt generi humano scriptores illi dulces et blandi, quorum feracio nostra est artas, qui, adhibitis omnibus artis lenociniis, iuuentum imprinis, sua tamen sponte ad voluptates proniorem, non ad delibanda, sed ad haurienda et penitus perfruenda vitæ delinimenta invitant, exacutissimè sollicitant, atque ita sensuum svaves motus, qui reprimendi potius et moderandi erant, excitant vel maxime et impellunt.

Quanto rectius itaque et sapientius præcipiunt, qui medium inter hos errores viam tenentes, non sensu, sed usu vitæ, eoque iusto et legitimo pretium eius metiendum, inde fructum vivendi omnem pertendum docent, atque haec tam arcto inter se vinculo coniuncta esse demonstrant, ut divelli nullo modo possint, si ad bene beateque vivendum conferre debeant. Cuius tamen saluberrimi præcepti vim quotusquisque est, qui penitus perspiciat, aut serio secum perpendat? Nempe, si frui nihil aliud est, quam res propter se adamare earumque amori inhærere; omnis profecto rerum humanarum fructus ex hac vita erit exterminandus, quippe cum præter virtutem et res divinas nihil omnino per se sit expetendum. Sed licet leniorem voci sensum subiiciamus, ut qualemcumque voluptatem ex aliqua re perceptam significet; num quæ potest ex rebus corporeis et sensuum imperio subiectis voluptas capi, quæ certa sit, constans ac diurna, mentisque humanæ, immortalis et æternæ, tam impenso studio digna? Primo quidem, quam vana et fallacia sunt ista omnia, quæ extrinsecus nos afficiunt, quippe sensuum

suum et phantasie ludibriis exposita? quam somniorum imaginibus et
 præstigiis simillima, in quibus umbra captatur, et spem fallit eventus
 ac deslituit? Deinde, si tandem assequimur, quæ appetimus, quid sta-
 bile ac firmum est in rebus, quæ non sunt in potestate nostra positi?
 sed e temporum vicissitudine et fortunæ mutatione pendent? Sed fac,
 abundare te et affluere omni rerum earum copia, quæ sensus oblectent
 et voluptati materiem suppeditent amplissimam; num satiabitur iis fru-
 endi cupiditas? Imo vero, dum ipsa assiduitate fruendi minuit et ex-
 tenuatur deliciarum svavitas et iu tedium paullatim abit, cum nova
 qualibet earum accessione crescat mirum in modum illud desiderium,
 et recenti semper cupidine te cruciabit: *Non enim exemplum vita fructi-
 bus unquam.* Denique si, quod in omni re potissimum est, specta-
 mus, quid utilitatis, veræ quidem ac perpetuæ, sperari potest ex rebus,
 quibus nihil inest, quo animus humanus vel melior reddatur vel tran-
 quillior, plurimum vero, quod sicut corporis, ita et mentis vires fran-
 gat atque debilitet?

Una igitur est, eaque tutissima per hanc vitam via, quam ii-in-
 greduntur, qui hunc vivendi modum sibi statuunt, ut nihil, quod ho-
 mini accidere possit, recusent, sed in adversis non minus quam in
 prosperis rebus sua studia, optata, desideria, suasque spes ac volunta-
 tes omnes divinis consiliis accommodent, et ad certam rationis normam
 dirigant: qui ea lege se natos esse sibi persuadent, ut officiis vita libe-
 raliter et dextere obeundis, rebusque, quantum licet, bene gerendis,
 vivendi spatium omne expleant; ad hunc finem sibi propositum omnia
 referant, in eoque et decus vita et lucrum potissimum querant; ceteris
 autem naturæ muneribus et sensuum oblectamentis caute sobrieque
 utantur, ne illa suis illecebris animum irretiant, et a virtutis trâmite
 avertant.

avertant. Est hæc vita vere vitalis, quippe non in sentiendi dulcedine
molliter acquiescens, sed etiam in vi agendi fortiter et patiendi conspicua.

Talem vitæ usuram cepit BARTOLDIUS noster, collega desideratissimus: qui, cum esset eximiis naturæ dotibus et mentis virtutibus præditus, ut excellere inter paucos posset, in hoc tamen uno sapientia studio versatus videri voluit, et quantum in eo profecerit, insigni numeri morte comprobavit. Humanitati vestræ confidimus, Cives, non latuissime vos egregiam defuncti indolem et præclara in vosmet merita. Sed nolite expectare, nos inde præcipuam laudandi materiam, quæ utique suppeteret, esse quæsturos. Ea enim fuit Viri modestia, is pudor ingenuus, ut, quæ per omnem ætatem abnuerat laudem de se præconia, ea moribundus etiam diserte recusaret, id unum sibi sumens, in arte vivendi pro viribus ita se elaborasse, ut non omnino ruditus esset ac imperitus. Scitote igitur, Juvenes, vestra potius quam Ipsius causa factum esse, ut hæc de vita eius commentatio proponeretur, unde, quid sequendum imitandumque vobis esset, caperetis.

Natus erat JOANNES GOTTLIEB BARTOLDI in hac urbe nostra, genere et loco non obscuro, sed unde in altius eniti, novumque decus in patriam domum inserre, haud nimis arduum erat contendenti. Patre usus est antiquæ fidei et virtutis viro, CAROLO FRIDERICO BARTOLDI, qui inventuti erudiendæ in quarta Gymnasii nostri Classe quinquaginta amplius annos præfuit, et Cantoris ad S. Trinitatis ædem signul obiit officia. Is in matrimonio habuit JENTIKOVIAM, sacerdotis Regenvaldensis in Pomerania filiam, quæ Nostrum in hanc lucem edidit d. iv. Octob. A. MDCCXXXVI. Puerili educatione doctrinaque in schola patris liberaliter institutus, ætatis anno quartodeci-

mo ad uberiorem bonarum artium frugem venit in disciplinam Paynii, scholæ Petrinæ Rectoris adhuc optime meriti, cui plurimum se debere ad mentis animique cultum, grato semper animo profitebatur. Inde demissus, cum satis appareret in iuvene ingenium ad literarum studia tractanda ab ipsa natura factum, sub fine anni MDCCLX ad superiores Gymnasii scholas transiit, quas magna tum nominis fama doctrinæque luce illustrabant Hanovius, Wernsdorffius, Kuehnus, Sendelius, Groddeckius, Krausius, ad quos non multo post accesserunt Berlinius et Pauli, nunc Vitebergenfis academiz decus: quorum institutioni in rerum divinarum humanarumque scientia per integrum septennium vacavit assidue. Atque hæc alma bonarum literarum officina nonsolum animo iuvenis discendi cupido alimenta, sed etiam vitæ præsidia et ornamenta præbuit. Contigit enim, ut a Magne. huius urbis senatu alumni beneficio et honore dignus iudicaretur; cui muneri insuper haud parum pretiū tum quidem accessit ex dignitate eorum, qui proximis ante trienniis idem meruerant. Jam animo et annis maturus, et iudicio satis firmatus, ut de certo disciplinarum genere eligendo secum statueret, ad Theologiam applicuit animum, sed ita, ut philosophia simul et mathematicæ doctrinæ, quam a pueris inde ad amaverat, studium serio adiungeret. Probe enim iam tum intellexerat, quod multi, quorum maxime interest scire, iuxta cum ignarissimis ignorant, quantum in his literis adiumenti inesset, ad alendum ingenium, ad percipiendi celeritatem, et cogitandi iudicandique vim acuendam. Quo consilio Rostochium se contulit A. MDCCCLXV ibique quatuor annorum spatio in theologicis audivit Priessium et Quistorpios, in philosophicis et physicis Aepinum, Beckerum, Eschenbachium, in mathematicis vero Karstenium, qui, quod Kuehnus olim excitaverat, artis studium penitus incendit. Et profecto, vere salutaris fuit Nostro hæc disciplina.

Nempe

Nempe cum in orationibus sacris pro concione habendis, pectoris vitio,
quo a prima inde inventute laboraverat, respirandi difficultatem in dies
augeri sentiret, misso studio theologico, habuit quo refugeret. Et
quo minus poenitentia consilii, iurisscientia simul societatem petuit,
eainque Jenæ archius iungere constituit. Quo profectus A. MDCCCLXI,
quamquam domi iam cupide expectaretur, et rei familiaris angustia
reditum in patriam maximopere urgerent, tamen strenue colluctans
cum adversæ fortunæ molestiis, biennium ibi in doctissimorum homi-
num scholis et conversatione, cui quidem plurimum tribuebat, transe-
git. In primis autem officio et observantia sibi devinxit Succovium et
Wiedeburgium, viros celeberrimos; quorum etiam cura factum est,
ut sibi campus aperiretur, ubi partam doctrinam et amplificare usu et
communicare cum aliis posset. Nempe de illorum commendatione ad
Grisones tum evocatus, in illustri domo de Salis generosæ iuventutis re-
genda provinciam suscepit, in biennium, quod in amoenissima rerum
conditione ita consumsit, ut grata ei per omniem vitam esset eius tem-
poris memoria, vel propterea etiam, quod cœli bonitate ibi cor-
pus mirifice refectum, et asthmatis molestia omnino liberatum sen-
serat. Inde iam reverturo in patriam letiora præter spem plura
obtigerunt, quæ pristinæ durioris fortunæ acerbitudinem omnem ab-
stegerent. Quippe peregrinandi, quo tenebatur, desiderium nobis
quidam amicus explevit, qui ipsum itineris comitem duxit per Lom-
bardiam et Pedemontium; unde, superatis Sabaudia Alpibus, per om-
nem Helvetiam venit Argentoratum: eo quidem consilio, ut sedem
ibi ad tempus sigeret, seque ad domesticam iuventutis institutionem
conferret. Sed præter optatum res processit. Amicorum enim, quos
in academia Jenensi studiorum similitudo secum coniunxerat, literis et
precibus inde extractus, Carlsruham, ubi cum familiaribus viveret, ire
perrexit. In his plurimum valuit apud eius autoritas et exemplum

B

Schlett-



Schlettenii, V. Cl. qui tum ibi artem oeconomicam et cameralem magna cum eruditio[n]is laude profitebatur. Vix eo pervenerat noster, cum operam eius expeteret illustris familia de S. Andre, eique trium generosorum iuvenum curam et educationem deferret. Cui muneri, arduo non minus quam honorifico et fructuoso summa cum fide praefuit, ita tamen, ut eius, quod Argentorati iam agitaverat, consilii laud immemor, succisiuum tempus et otium omne in artibus iis, quibus totum se dederat, tractandis tradendisque consumeret, scholas privatas aperiens, nonsolum mathematicas, sed etiam oeconomicas, in quibus arctissimum harum disciplinarum nexum discere cupientibus demonstraret. Elapso interhaec fere quinquennio, paedagogia finem eum fecit, ut unum e disciplina sua alumnis, egregia indolis iuvenem, in academiam Tbingensem duceret, ibique in literarum studiis moderandis per triennium ei adesset. Tum vero sat luculenter apparuit, quanti fidem et prudentiam dexteritatemque hominis secerint illi, qui tam cara pignora tuenda ei commiserant. Ab hoc enim tempore in eiusdem illustris familiae interiorem consuetudinem admissus, in rebus oeconomicis æque ac iudicialibus curandis ei coepit esse a consilio. His negotiis implicitum ac dissentum invenerunt Senatus literæ, que Nostrum in urbem patriam revocarent. Et quamvis ægerrime dimitteretur ab iis, quorum rebus tum quidem vel maxime inserviebat, ut etiam aliquot mensium mora esset interponenda, dum se ab ista occupatione expediret; vicit tamen apud ipsum patriæ caritas.

Rediit Gedanum A. MDCCCLXXIV, ac traditam sibi provinciam mathematicam, a b. Kuehnii morte per quinquennium iam desertam, d. XXII. Nov. solemini ritu adiit. Jam quid expectare, quam spem præcipere non licebat de viro, qui ipse spei plenus et animi demandatum sibi munus obibat? Qui ingenio pollebat, usu et exercitatione assidue

dua sybacto, et corporis viribus integris suffulto? Qui ut patriæ pio amore,
ita artis eius, quam traditurus erat, studio acerrimo flagrabat? Cui nec
in morum facilitate, nec in dicendi lepore quidquam deerat, quod al-
licere ac detinere audientes posset? Sed, absit querelæ invidia, venit
in provinciam vere desertam, et in hoc nostro solo prope sterilem. In
qua colenda exornandaque quid profecerit, vos ipsi, quorum res est,
Cives, iudicabitis: enim vero, qua voluntate, quo studio, qua fide in
ea elaboraverit, eius rei testes erunt, quamquam pauciores forsan, ta-
men satis locupletes, quise ad ductum eius serio applicarunt. Hi qui-
dem experti loquentur, quam cupidus fuerit, sine ullo lucri studio, in
conciliandis arti sue seftatoribus; quam facundus in commendandis
explicandisque eius deliciis; quam liberaliter vel tenuissimæ fortunæ ho-
minibus, e vestro coetu selectis, operam in eo præstiterit, quorum
neminem disciplinæ sue opibus non locupletatum a se dimisit. His
ita circumcluso sua provinciæ limitibus, fieri non potuit, quin oppor-
tuna esset qualibet occasio, qua prodesse pluribus posset. Quare cum
ante hos quatuor annos languesceret Sendelius, Collegii nostri senior
meritissimus, adversa ex improviso valetudine afflictus; vices eius in
Physicis docendis eo lubentius suscepit Bartoldius, quo duxit sanctius,
college et quandam præceptorum opem ferre laboranti, et quo amplior
simul facta erat copia; de vobis, Cives, bene merendi. Tum quidem
habuit, quo velut lenimento mathesi sue animos alienos reconciliaret
et in gratiam eius reduceret; easque partes vicarias eximia cum vo-
luptate per triennium fere sustinuit, nec opera parsens, nec sumtibus,
in apparatum physicum impendendis.

Sub idem fere tempus etiam inclytæ Societati physice, quæ apud
nos floret, sese adiunxit, eique, disserendo recitandoque de recentis-

simis inventis physicis et mathematicis, quoad licuit, suam sollertia-
doctrinam, industriam ita probavit, ut magnum sui desiderium ibi re-
liquerit. Nimirum inter eruditos talem se gerebat, quam
Tullius oratorem vult esse et artificem quemque ingenuum, ut, etiamsi
aunquam ostentaret artem et multiplicem illam, qua dictatus erat, do-
ctrinam, tamen ex re ipsa non obscurum esset, eum ad id, quod age-
bat opus, omnibus ingenuis artibus instructum accessisse. Omnia,
quo communior erat scientia, quo magis ad vitæ usum accommodata,
quo pluribus utilior, quo minus arrogantis præ se ferebat; eo maiori-
cum studio amplectenda Nostro videbatur. Eadem collegæ nostri pru-
dentia usu rerum quæsita et exactia, ut in docendi officio, ita etiam in
reliqua muneric ratione fuit conspicua. Sive enim in regenda morum
disciplina, sive in administrando Gymnasi ærario nobis operam præbe-
ret; eo semper consilio adfuit, cuius nunquam nos poenituit.

Sed ut proprius noscatis hominem, agite, interiori etiam et fa-
miliare eius vitam intueaintr. Coniugem nactus erat munere divino
egregiam et proflus amabilem, spectatae virtutis feminam, GERTRU-
DEM LEVINAM SOERMANNIAM, sacerdotis Hamburgensis filiam,
Batava gente honestissima oriundam, quam duxit d. n. Decemb. A.
MDCELXXIX. Quod coniugium, ut lautori familiaris rei accessione, ita
maxime animorum intimo consensu fortunatum fuit ac letissimum.
Neque vero in hac exoptata conditione defuerunt Nostro, quæ inone-
rent, nihil esse ab omni parte beatum. Ab initio statim dolendi ma-
teriam præbuit dulcissimæ uxoris valetudo, morbos corporis affectione
dudum laborantis: tum filii desideratissimi proxime ante nascendi maturita-
tem obitus: mox infœctaæ identidem fortunarum hand leves iacturæ.
Quid mirum, si in hac rerum vicissitudine, homo ceteroquin minime
solita-

solitarius, secum tamen lobentius habitavit, et in fidissimæ sociæ amore
 et consuetudine ita acquievit, ut frequentiores hominum coetus et con-
 victus non magnopere appeteret. Maxime, ubi contigit, quod sum-
 mum in votis fuerat, ut, quam unice amabat, quam in oculis ferebat,
 in suo amplexu convalescentem et confirmatam videret. Verum ta-
 men, ut animatum ab utriusque fortunæ mutatione servavit integrum,
 ita etiam ceteris humanitatis officiis minime defuit. Patrem, cui tres
 tantummodo annos superstes fuit, ad extremum usque pie coluit; neque mi-
 nis caras sanctas que habuit familiae necessitudines, quibus interdum
 fr̄o ipsius hand levi incommodo inservivit. Amicos, antiquiori præ-
 certim familiaritatis vinculo sibi coniunctos, ea fide, obsequio, con-
 stans observavit, sovit, retinuit, ut dissidio vel discordia nusquam
 esset locus. In omni denique vita tam facilem, comem, placabilem,
 officiosum se præbuit singulis, ut in aperto esset animus ab omni fastu,
 invidia, similitate alienus. Morum vero quanta venustas et gratia, in
 summa gravitate virili, quanta in ore vultuque urbanitas, ut primo
 statim conspectu agnosceres virum, qui mores multorum vidisset et
 urbes, et in hominum celebritate dia multumque esset versatus. In
 viectu cultaque elegans erat, nou sumtuosus: in fruendis fortunæ mu-
 neribus parcus et sobrius, in tuendis diligens et frugalis. Quare etiam
 in villa, quam possidebat, secessu tam parum otio indulgebat, ut po-
 tius fundum fructuosorem reddere omni arte et studio conaretur, im-
 pense lætans, quonies hanc operam non omnino frustra consumptana vi-
 debat, et aliis probare poterat.

Habetis igitur, Cives, adumbratam utcunque Bartoldii vestri
 imaginem: expressam velut ac perfectam exhibebit mortis historia,
Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, sunt tamen memo-

randa, quibus moribundum vidimus laborantem, ut quanto animo tulerit, appareat. Insigni corporis firmitate valebat, quæ longissimæ spem vita facere videbatur. Sed eadem Nostro, ut constantis adhuc sanitatis fuerat, ita nunc mortis acerbioris facta est causa. Vix quinq[ue]agessimum ætatis annum erat egressus, cum coecum lateris dextri dolorem coepit queri, eumque sibi fatalem fore, non obscurè prædixit. Quod præsagiava utinam fefelleret! Accesserunt subinde alia incommoda antehac insolita, langor membrorum, luridus oris color, deficiens mentis alacritas. Interim ægre quidem, sed obibat tamen muneric negotia, donec Septembri mense superioris anni prorupit et incubuit cohors illa malorum, quæ languentem prostravit. Inde per novem menses vitam traxit miserrimam. Jacuit corpus illud, antea tam robustum tamque formosum, dira nunc Tympanide distentum, ceterum horrida macie deformatum, febri tabifica exesum, requie nulla refectum. Dici non potest, ne cogitari quidem, quas exhauserit miser arumnas, quibus conflictatus sit calamitatibus, quibus dolorum tormentis excruciatus; quantum maxime ægritudinis et angoris attulerint perpetuae vigiliae, noctesque insomnes, quibus ita se torqueri fatabatur, ut mirum esset, ni mente deturbatus ad insaniam adigeretur. Malorum cumulum, ut postremo adimplevit Ascites, ita finem simul et modum iis imposuit. Causas huius tam funesta cladis si queritis, prorsus miserandas tradunt Viri, artis medica peritissimi, qui, cum ægrotanti medelam afferre omni studio adhibito non potuissent, defuncti corpus aperiendum ex ipsius voluntate curarunt. Nempe, detracta imo ventri aquarum mole, reperta sunt mesenterii glandulæ omnes induratae ac turgidae, præsertim in regione lumbarum dexteræ, ubi magno numero conglobata iacebant eiusmodi Atheromata. Isdem tumoribus vesicæ fundus erat obductus et collum eius prope præclusum.

Jecur


Jecur solito magis constrictum et Steatomatum compage velut intertextum, quorum unum, versus dorsi spinam subtus excurrens, tantæ molis erat, ut ovi gallinacei modum æquaret. Vesicula fellea itidem iusto minor, gilvi coloris bilem admodum extenuatam continebat. Etiam in pectoris cavo aliquantum aquæ inventum. Apparuit igitur, iecinoris er fellis male excocti vitio omnem hanc stragem esse editam: inde dolorem illum venisse in latere dextro assiduum, inde duritatem inteflinis et vasis lymphaticis contractam, quæ, deficiente paullatim succo vitali, ultimam corpori imbecillitatem attulit. Sed eadem hac virium exhaustarum defectione factum est, ut finis vitæ ad extremum saltem placidus Nostro contigcrit. Obrepit enim tandem d. xxix. Maii somnus diu multumqne flagitatus, obrepit precanti, et sex horarum lenissima requie sopitum, omni miseria humana exsolvit. Nos autem velut ex gravi aliquo angore tum respiravimus.

Jam qualem censemus fuisse virum, qui tot tantisque calamitatibus, minime quidem ante assuetus, tamen cum ingruerent, non succubuit? quem non improvisa vis leti rapuit: qui mortem vidit lento gradu aggredientem, cunctis terroribus stupatam, neque vero extinxit: quem in ipsis angustiis et periculis nec animi praesentia, nec cogitandi vigor desluit: quem nemo nostrum trepidantem vidit, aut metu percussum. Tulit ista omnia et sustinuit, non Stoica pervicacia, non obstinato adversus dolores animo, non mentis aliquo torpore sopitus; sed tulit vera constantia, homine Christiano digna. Insolentia quidem malorum, quorum præmeditatione animum iamdudum firmaverat, tam parum offendebatur, ut vel graviora, si Deo visum fuerit, sibi perpetienda esse, ultro fateretur, ipsamque hanc mortis moram, quamvis acerbam, in beneficio poneret. Divinis enim consiliis suam voluntatem



tatem omnem subiecerat. Ostendit etiam et sat luculenter probavit, pristinæ fortunæ gratam memoriam præsenti miseria minime apud se esse extinctam. Audivimus enim, cum graviter iam ægrotaret, miro cum ardore, nec sine lacrimis divina benefacta in se collata enumerantem, omnibus, quæ sibi adversa accidissent, longe maiora: in his potissimum, quod coniugi Deus tam fidelem fortemque animum indidisset, easque corporis vires largitas esset, ut, quæ suamet olim cura et auxilio sustentanda fuerit, ipsi nunc succurrere tamque promptam opem ferre inopi posset. Virtuti suæ et meritis tam prorsus diffidebat, ut in clementia et misericordia divina spem omnem collocaret, gravissime sibimet irascens, si quando per doloris impatientiam aut ingenii fervorem quidquam sibi excidisse animadverteret, quod hominis officio minus conveniret. Solatii vero divini quam fuerit cupidus, quam capax, quam plenus, experti sunt Viri illi venerabiles. evangelii præcones, qui suis eum alloquiis eo lubentius adiuverunt, quo avidius ab eorum semper ore pependit. His præsidiis munitus et sustentatus animus, contentis rebus humanis, sub mole miseriatur, in dies, in horas crescente, vi divina erexit se in spem cœlestis vita beatissimæ, ad quam fruendam, solitus tandem corporis vinculis tamquam ex carcere evolavit.

Huius igitur egregii Viri memoriam ita servate, Carissimi Cives, ut non solum doctrinam et studia eius, quamquam id impense cupimus, amulemini; sed etiam vitæ exemplum sequentes, in prosperis pariter ac in adversis rebus æquam servare mentem memineritis, eamque vobis legem statuatis, vitam non mancipio, sed usui mortalibus datum, et vivendum ita esse, ut morientes vixisse vos non poeniteat.
P. P. Dom. VII. p. Trin. A. MDCCCLXXXVIII.



Te 1561

ULB Halle
001 947 087

3



56.

vD 18

M. C.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



MEMORIA

VIRI

EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI DOCTISSIMI

JOANNIS GOTTLIEB BARTOLDI

MATHEMATUM PROFESSORIS PUBL. ORD.

D. XXIX. MAL. A. MDCCCLXXXVIII.

REBUS HUMANIS EXEMTI

ATHENAEI GEDANENSIS CIVIBUS

COMMENDATA

AB

RECTORE ET PROFESSORIBUS.

Auctor Car. Bened. Gottlieb Eloge et Prof. P. P. Ord.

GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS
ET ATHENAEI ILLUSTRIS TYPOGRAPHI.

